

initio usque ad finem, dabunt horas 2, hoc est, durationem totius crepusculi.

Posito nunc eod. gradu solis super horizonte obliquo, ex parte occidentis, monstrabit linea fiducia in limbo initium crepusculi vespertini eod. die, hor. 7. vespertina 28. min. quo tempore nimirum sol apud nos occidit. Promoto deinde gradu dicto super crepusculinam, ostendet in limbo, finem eiusdem crepusculi hora 9. vespertina 22. min. Gradus inter initium & finem intercepti, qui sunt 30, dant hor. 2. quæ est duratio crepusculi vespertini, tanta videlicet, quanta fuit matutina.

Nota primò.

Fit aliquando ut linea crepusculina, aut non sit descripta in Astrolabio, aut malè scripta; utpote nimium distans à centro Astrolabij; tunc sic procede. Pone gradum Ecclipticæ, loco solis oppositum, super 18. parallelum, horizontis obliqui, ex parte occidentis, si crepusculum matutinum inquiris, ex parte verò occidentis, si vespertinum; linea fiducia gradui solis, qui tunc reuera intelligitur esse in linea crepusculina, superposita, ostendet in limbo initium crepusculi matutini ex parte orientis; aut finem crepusculi vespertini ex parte occidentis. Promoto deinde gradu solis ad horizontem, ex parte orientis, ostendet linea finem crepusculi matutini: ex parte verò occidentis, initium crepusculi vespertini, ut antea.

Nota secundò.

Quod si horam principij unius crepusculi, subduxeris ab horis 12. residuum dabit finem alterius: & hora finis unius subducta ab hor. 12. dabit principium alterius.

Nota tertio.

Quod si noctu scire velis, quantum à crepusculo, vel matutino, vel vespertino cognito distes, illicò per altitudinem alicuius stellæ horam inquire, uti superius Propos. 13. docuimus, quam